



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Meritum an sit operum. tit. 170

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

redemptionem, Heb. 9. At distributionem nos mere-  
mur ex promissione, &c.

Tertiò inquires: Ex quo omnium est vna fides, nun-  
quid ex æquo accipiunt omnes meritum Christi, &  
æquales sunt in gloria? Respondeo, Aliud est cælum,  
& aliud præmia in cælo, Cælum omnes & beatitudi-  
nem ex æquo habebūt, qui credunt & Deo obediunt,  
sicut omnes stellæ ex æquo sunt in vno cælo. At præ-  
mia in cælo sunt diuersa: hic vnus præcedet alterum,  
sicut vna stella differt ab alia, 1. Cor. 15. & iuxta diuer-  
sa merita sunt diuersæ mansiones, Ioan. 14. Sed & hoc  
ex diuina est gratia, quòd sunt diuersa opera & diuer-  
sa præmia. Nam nos non sumus sufficientes ex nobis  
aliquid cogitare, 2. Cor. 2 & Paulus Rom. 6. Donū &  
gratia est vita æterna. Præterea licet opera nostra sint  
media, & non mereantur vitam æternam, sunt tamē  
media per quæ distribuuntur nobis illa, & etiam iux-  
ta gradus sua habebunt præmia diuersa, 1. Corint. 3.

*MERITVM AN SIT  
operum.*

TITVLVS CLXX.

**Q**VAERITVR, an sit aliquod meri-  
tum operum, Roman. 8. Non sunt con-  
dignæ passionis ad futuram gloriam  
&c. ergo nullum est meritum. Respon-  
deo, 2. Tim. 4. Bonum certamē certauī,  
&c. idcō repōsita est mihi corona iustitiæ, &c. ergo  
est aliquod meritum operum. Item Luc. 17. Cū fe-  
ceritis omnia &c. adhuc nihil debet Dominus seruo,  
ergo nullum est meritum, Matth. 19. Si vis ad vitam  
ingredi, serua mādāta. Ergo est aliquod meritum. Itē  
si opera bona solū sunt media, per quæ Deus distri-  
buit beneficia Christi, & per quæ nobis appropria-  
mus & apprehendimus beneficia Christi, nul-  
lum meritum habent opera, sed solū sunt velut  
instru-

instrumenta & organa mortua, sine omni actualitate, sicuti bipennis & serra. At sunt variae promissiones legis & Euangelij pro operibus, Exod. 20. Matth. 23. Esuriui, & dedistis mihi manducare. Ergo est aliquid meritum.

Primò, notandum quòd omne opus bonum, & omnis iustitia est à Deo, & Deus illa operatur in nobis. Esa. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. 2. Corint. 3. Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, tanquam ex nobis: sed omnis sufficientia nostra ex Deo est, Ioan. 15. sine me nihil potestis facere, sicut palmes absque vite. Omne ergo cogitatum opus bonum & iustitia à Deo est.

Secundò, Deus promisit iustitiæ & operi bono premium, mercedem & coronam: ita quòd nedum operatur bonum opus & iustitiam, sed & coronat hoc ipsum suum donum, opus, & iustitiam magnopremio in hac vita & post hanc vitam, ipse dat fidem, & hanc etiam coronat: dat Spiritum orandi, ieiunandi, obediendi legi Dei, &c. & quoque coronat donum suum. Tu quid habes quod non accepisti? 1. Corint. 4. Quòd si acceperis, ad quid gloriaris quasi non acceperis? ergo Deus dum iustitiam aut bonum opus remunerat, suum donum, non tua merita, coronat. Iustitiæ & bono operi promissa est corona: sed quoniam iustitia & bonum non est à te, sed à Deo donatur, ergo corona debetur iustitiæ, non tibi. De nullo ergo merito gloriari possumus: attamen ex quo ipsi nos instrumenta volutaria exhibemus & acceptamus hæc media, quæ Deus per nos operatur, hanc obedientiam Deus acceptat, & nobis propter Christum hanc coronam, qua opera & dona sua coronat & promittit, nobis imputat per fidem propter Christum: & sic imputatiuè propter Christum ex gratia recipimus coronam hanc operum & donorum Dei, id quod & veteres dixerunt, opera Dei esse quæ per nos facit &c.

AN RE.